JUDICEM IN PROPRIA CAUSA, DISPUTATIONE JURIDICA PRAESIDE ... DN. HENRICO COCCEJO, ... PUBLICA...

Heinrich : von Cocceji, Johann Valerius Jaschki, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

THES. I.

ETſi inter clariſſima naturæ capita, certiſſimæque rationis ſit,neminem in propria cauſa judicem,neminem exemtorem eſſe poſſe, vulgò tamen in omnia alia diſceditur. Hobbeſius *de Civ. c. 1. §. 9.* in ſtatu naturali quemque ſuarum actionum judicem facit : cum non magis alius de ipſo,quam ipſe de alio judicare queat,propter æqualitatem hominum in eo ſtatu; quod Clariſſ. Puffend. *lib. 5. c. 13. §. 2.* eò interpretatur, ut liceat cuique ſua negotia proprio arbitrio adminiſtrare,& media ſui conſervandi ex proprio judicio conſtituere : dubitare autem videtur Celeberr. Hüber, JCtus eleganter doctus; *de jure Civ. lib. 1. c. 3. §. ejusq;*, nec longe hinc abſit Grotius,qui *lib. 1. c. 3. §. 1.* judicia non naturâ, ſed ab hominibus,& quia id illis conducibilius ſit, conſtituta, eſſe ait; refutatus a Ziegler. *in comm. ad d. loc.*

THES. II.

Verum facile oſtenſa eſt, multa in his perperam, veraque juris Gent. ratione inſuper habitâ ſupponi tradique; negamus enim,ex æqualitate hominum naturali ſequi,nullum inter eos fore judicium,cui parere debeant; hæc enim poteſtas judicandi non ſingulis, ſed toti ſocietati humanæ competit; quæ ex ſententia quoque Solonis in *l. 4. ff. de coll. & corp.* jus habet in ſingula membra. Ita enim ipſe rerum arbiter Noachidis dicebat, *Gen. 9. verſ. 9.* qui ſanguinem effundit, ejus ſan-

Digitized by Google

gvis iterum effundetur. At à quo niſi à Noachidis, quibus loquebatur, & in quibus omne hominum genus erat congregatum, ſinguli enim nihil in ſe juris, nedum tantam occidendi poteſtatem habebant. Idem ipſa juris naturalis exiſtentia manifeſtisſimum facit; Cum non minus Magiſtratus à naturâ ſit, quam ipſum jus naturæ; hoc enim jus nullum eſt, niſi ſint, qui illud exequi posſint; ut loquitur Pompon. *in l. 2. §. 13. ff. de orig. jur.*, atque inde Seldenus judicia inter illuſtriora juris Noachidarum ſeu Gentium univerſalis capita, quæ nunquam non obtinent, & in ipſis rerum initiis homini a numine imperata ſunt, refert *lib. 1. cap. 10. & lib. 7. cap. 4. & 5.* Neque nunc de externa judiciorum forma ac ſpecie quæritur, ſed de ipſa poteſtate judicandi, quam Grotium & aſſeclas proinde ex facto demum hominum pesſimè arceſſere ex dictis, poſteaque dicendis conſtat.

THES. III.

Ità quoque ſanè quam frivolum eſt, quod dicitur, quemque poſſe de mediis ſuæ conſervationis ex proprio judicio conſtituere, ſeu ut loquitur Hobbeſ. d. loc. utrum actio, quam quispiam acturus eſt, ad conſervationem ſuam conducat, ipſum naturali jure judicem eſſe. Si enim de jure loquitur, quod ſcil. de juſtitia actionum vel mediorum hujusmodi, quisque conſtituere in ſua cauſa posſit, id omninò falſum eſt, ut §. ſeq. oſtendetur. Si vero de ſolâ utilitate, quod ſcil. quisq; judicare posſit, quid ſibi conducat, nihil id ad partes judicis: per judicem enim in hâc quæſtione intelligitur, qui de jure, non qui de utilitatibus judicat. Cum & haud privatus quisq; quid ſibi ad vitam vel rem privatam utile aut neceſſarium ſit, conſulere ac dijudicare pos-
ſit:

ſit: quod proinde proprium ſtatui naturali non eſt; ſed ſi inde eum judicem in propria cauſa jure naturali conſtitueris, idem eadem ratione in hodierno & quolibet alio ſtatu effeceris. Sic haud perinde ac in ſtatu naturali privari judicant, quod ſibi acquirendum ſit, & jus acquirendi habent: hic autem non eſt actus judicis, qui de jure, ſed patrisfam., qui quid ſibi commodum judicat; ſi vero in hâc adquiſitione aliquid non jure factum dicatur, de eo non ipſe, ſed judex judicat; idque iu quolibet ſtatu naturali æque ac alio, ut hinc planum fiat, quam ſit doctiſſimorum quoque hominum imbecilla & incerta definiendi juris naturæ ratio, in cujus tamen ſacra involare quis haud non audet, qui vel juſtinianeas hujus juris deſcriptiones ſaltim inſpexerit.

THES. IV.

Abſolutè ergo & ſimpliciter ſtatuimus, neminem ullo jure judicem eſſe in ulla cauſa verè propria poſſe; hujusq; immotæ Regulæ duo ſunt principia: (1) primum eſt ipſa naturalis pugna inter rationem judicis & partis: atque hæc repugnantia & contradictio reprehenditur tum in cognitione tum in executione cauſæ; in cognitione enim partes contendunt jus ſuum eſſe, judex id demum cognoſcit; partes ſibi contravertunt, judex decidit, id eſt, controverſiam tollit; nemo autem idem ſimul poteſt affirmare & cognoſcere, aſſenſum ſimul dare & ſuſpendere, litem facere & tollere. In executione id quoque clarius eſt; cum nemo habeat imperium vel executionem in ſe ipſum vel in parem; Imperium enim ſuperius eſt; nemo autem ſe ipſo ſuperior aut inferior eſt; quam rationem quoque urget JCtus in *l. pen. ff. de Recept. aſt. l. 13. §. pen. ff. ad Treb.* Execratio enim à judice non fit, niſi per imperium vel man-

data exemtoralia *l.15. §.2. ff. de Re jud. ord. Cam. p.3. f. 48.*, Unde & imperium in jure dicitur *l. ult. ff. de off. ejus cui mand.* idemque natura relatorum infert, cum alius ſit quis alius cui imperet, & ſic alius qui, alius cui paret; eodemque modo neceſſario differant, qui, & cui jus dicit. Unde judicium in propria cauſa actum, tanquam naturæ ipſius repugnans, & quia fieri per naturalem rationem id non poteſt, ipſo jure nullum eſt, *l. un. & ibi Dd. C. ne quis in ſua cauſ. l. ult. §. pen. C. ubi Senat*, Mar. *part. 5. deciſ. 323 n. 2, 3. 4.*

THES. V.

(II.) Alterum eſt ſupplicio ex φιλάυτια & ſui ipſius ſtudio nata; quo acti homines haut facilé ſincerum in cauſa judicium ſequuntur, quin ſemper ſuæ cauſæ plus tribuant: neque enim cuique mortalium, ut Saluſtius ait in bell. Catil. injuriæ ſuæ parvæ videntur; meritoq; Terentius, in Andria, verum eſſe, inquit, vulgatum illud: Omnes ſibi malle melius eſſe quam alteri. Ex hoc autem principio arcentur homines non modo à ſuis, ſed & aliorum cauſis cognoſcendis, quarum ſtudio ducuntur, & in alterutram potius partem affectu propendent, quam in rem graviter ita diſſerit Cæſar apud Saluſt. d. l. omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia vacuos eſſe decet: haut facilè animus verum providet, ubi illa officiunt; neque omnium quiſquam lubidini ſimul ac uſui paruit; &c. & pie ſancitum eſt a Juſt. *in l. 16. C. de judic.* ut omnes lites ſine ſuſpicione procedant. Cæterum hæc ratio non reddit judicium ipſo jure nullum, ſed exceptio hæc a parte opponi & probari debet.

THES. VI.

Ut jam probe percipiatur, quinam ex priore prin-

cipio judices in propria cauſa eſſe non poſſint, diſpiciendum eſt, quid appellatione propriæ cauſæ hic veniat, & quemadmodum illa a non propria diſcernatur? cui quæſtioni reſpondet ipſe JCtus in *l. 1. §. in propria 11. ff. quand. appell.* palam eſt eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet, & illi ergo demum a judicanda cauſa ex hoc capite ſummoventur, ad quos illa privatim & proprio jure pertinet.

Thes. VII.

Hinc igitur I. Tutores, Procuratores, & Advocati cauſæ, in ea judices eſſe, hac ratione non obſtante poſſunt; quia eorum illa propria non eſt, *d.l.1.§.12. & 13.* quin pater in filii & uxoris, & filius in patris cauſa judex eſſe per hanc rationem non prohibetur. *l.77.ff. de judic.* Sed parti adverſæ integrum eſt ex poſteriori ratione ſuſpectos eos peragere; hos quidem ob arctisſimæ neceſſitudinis affectum, illos vero, quod vel lucrum inde capeſſere ſoleant, vel ſtudio defenſa, olim cauſæ occupati videantur, *c.36.X. de appell.* quod ſi pars negligit, & nulla ſuſpecti exceptione motâ litem conteſtatur, judicium ſubſiſtit & ſententia valet, per *c. 20. X. de Sent. & re jud. l.ult. c. de except.* Mynſ. *4.obſ.59.* quod ſecus eſt, ſi ſententia in propria cauſa lata, adeoque ipſo jure nulla ſit, ut ante diximus.

Thes. VIII.

Etſi autem, quoties pars contra hujusmodi judices exceptionem ſuſpecti non opponit, judicium valet; tamen, cum his caſibus ſuſpicionis cauſa fere notoria ſit; ipſi judici quoque incumbit, ejusque officio congruit, ut hujusmodi cauſis potius abſtineat. Atque talis admonitio officii eſt, quæ habetur in *l.16.ff. de off. præſ. & in*

Digitized by Google

l. 10. ff. de juriſd. eaque gradus ſuos habet, nam primum pro regula rectò in *d. l. 10.* traditur; Magiſtratum nec ſibi nec ſuis jus dicere debere, non ſibi, ex priore ratione, non ſuis ex poſteriore: Sed ita ut, ſi ſuis de facto jus dicat, ſubſiſtat quidem judicium, ipſe tamen puniri, quaſi contra officium agens poſſit. Non deſunt tamen caſus, quibus tale quoque judicium excuſatur, quid enim ſi ſervi, ſi comites judicis injuriam furtumve fecerint, & ipſe eos coerceat, vel rem exhiberi vel caveri jubeat, ceſſat utique ſuſpicio, cum nihil in favorem ſuorum egerit, ſed merito ſuo eos puniverit *l. 6. §. pen. ff. de pœn. d. l. 16. in fin.* quin imo quid ſi ſibi, aut judici, illatam injuriam perſequatur, & ſuam dignitatem tueatur, ſibi quidem ut Magiſtratui jus dicit, ſed cauſa ea propria aut privata ipſi non eſt; ut poſtea dicetur, & propter hujusmodi caſus ſingulares additur in *d. l. 16.* quod non niſi parcisſime ſibi ac ſuis jus dicere debeat, quoties ſcil. vel nullum eſt ſuſpicionis periculum, uti ſuorum delicta puniendo, vel officium ſuum exequitur, de quo §. ſeq.

THES. IX.

Sequitur hinc II. quod cauſæ publicæ, quæ ad officium Magiſtratus ſpectant, non ſint cauſæ propriæ magiſtratus, quia eas non exercet nomine ſuo & proprio, ſed ut miniſter publicus, & ratione officii ſui publici, adeoque ipſe judex in iis eſſe poſſit, *arg. d. l. 1. §. 11. & 13. ff. quand. appell.* atque ita cauſam publicam judici alienam cenſeri non propriam, eamque in ea judicare poſſe, in terminis tradunt Gail. *1. obſ. 39. n. 4.* Mar. *p. 5. deciſ. 323. n. 9.* Add. alleg. a Gail. *d. l. n. 2.* Adeo ut, ſi rationalis vel procurator Cæſaris rem fiſci vendiderit, & emtor contra mandantem forte pretii nomine agere velit, ipſe procura-

curator fiſci in hac cauſa judex ſit, per *l. 4. & paſſ. C. ubi cauſ. fiſc.*

THES. X.

Quin nec magiſtratus ex poſteriore ratione ſuſpicionis in cauſis publicis ad ſuum officium ſpectantibus illico judex eſſe prohibetur, nec ex eo ſolus ſuſpectus dici poteſt, quod utilitas quædam ex cauſæ hujusmodi publica ad ejus officium redundet. Et recte Baldus ait *in 2. f. 46. n. 2. in fin.* judicem ne quidem propter commoda jurisdictionis, quæ ex ea cauſa percipit, judicem in ea eſſe impediri, ſed tantum propter commoda vel incommoda contractus aut delicti. Merito: hæc enim ſunt commoda perſonæ privata; illa officii publica, quæ non ſuo nomine ad eum pertinent. Non ergo propter hæc commoda ſtatim recuſabitur, ut ſuſpectus, niſi ita ſe gerat ut appareat, eam propter hæc commoda, aut nimio cauſæ vel officii ſui ſtudio, aliisve de cauſis meritò ſuſpectum fieri.

THES. XI.

Non enim facile Magiſtratus in ſacro ſuo officio ejusque exemtione ſuſpectus haberi debet, licet inde utilitas quædam ad eum perveniat, ſed juxta vulgatam regulam, pro eo ejusque ſententia præſumitur. Eſt enim perſona publica, jurata, ejusque fides ac induſtria publice electa atque probata, & ea propter hoc officium ei commiſſum, quæ fides publica haut temere vacillare, aut ſubverti debet. *l. 2. verſ. quod non arbitramur. C. de offic. jud.* quod eleganter pluribus deducit Alciat. *de præſumt. Reg. 3. præſumt. 9. & 10* Bald. *in l. un. in fin. C. ne quis in ſua cauſa.* neque vero ſuſpectus quisquam videri poteſt, agendo id, quod ratione officii non poteſt non agere, uti collectas, tributa, vectigalia exigendo, dignitatem auctoritatemq;

Google

tatemq; ſuam tuendo, & refractarios coercendo: quia juris & officii exemtio nihil injuriæ habet, *l.13. §.1. ff. de injur.* quin potius ſuſpectus & vituperandus eſſet, ſi id ſegnius faceret, atque adeò officium ſuum negligeret. Et ſanè ſolveretur omnis Imperii vis & Magiſtratus autoritas unà penitus corrueret; ſi cauſæ publicæ magiſtratuum propriæ, illivè inde ſuſpecti haberentur; cum ita vix ullam cauſam exequi aut remedia quæ ad tuendam ipſorum jurisdictionem ac dignitatem contra contemtores conſtituta ſunt, nedum ullum jus regale exercere cum effectu poſſent. Magiſtratuum omnium eſt, jurisdictionem ſuam defendere pœnali judicio. *l. un. pr. ff. ſi quis jus dic.* plurimi habent mulctarum pœnarumq; compendia, & hæreditates ab indignis auferunt, ſibique applicant, *2. ſ. 56. t. t. ff. & C. de his quib. ut indign.* Horum nihil fieri poſſet, ſi hæ cauſæ eſſent Magiſtratuum propriæ, in quibus judicare nequeunt.

THES. XII.

Atq; in hunc modum reſpondimus ſuperiore anno in Collegio Facultatis noſtræ propoſito nobis hujusmodi caſu: Actor in civitate quadam petebat coram judice illius civitatis inferiore ac ſubordinato certam pecuniæ ſummam, à debitoris ſui heredibus; iisque edictaliter citatis nec ritè comparentibus urgebat immitti in hypothecam ſuam. Interveniebat autem ipſe Senatus civitatis, & ab actore nomine collectarum certam ſummam exigebat, ſimulq; civitatem reis aliquid debere fatebatur, quibus actione ſua ceſſa volebat jure compenſationis actorem à judicio repellere; & cum decreta eſſet immisſio à judice inferiore, inde ad ſe ipſum tanquam judicem proximè ſuperiorem appellabat, quærebatur inter alia, an appellatio hujusmodi valeret,

& ipſe Senatus in hac appellationis inſtantia eſſe judex competens poſſit? reſpondimus, hanc cauſam non eſſe propriam Senatorum, ſed publicam, proindeque valere talem appellationem, nec Senatum in ea prohiberi judicem eſſe, quippe non in ſua ſed publica & civitatis cauſa. Uti ergò ſi prima Senatus inſtantia fuiſſet, ipſe ſine dubio cùm in cauſa civis ſui conventi, tum in cauſa fiſci ſui, agente fiſci procuratore, decernere potuiſſet; ita idem poteſt, quando ſecunda ejus eſt inſtantia; neq; magis prohibetur hujusmodi cauſas per appellationem ad ſe devolvere, quam in prima inſtantia eam decidere. Si verò aliunde ſuſpecti apparent Senatores illi ac judices, aut quidam eorum, idque doceri poſſet diximus ex hac cauſa ſuſpicionis contra eos excipi poſſe. Atque ſolet hoc caſu in civitatibus ita agi, ut civitatis quidem actio per Procuratorem publico nomine ordinario proceſſu intentetur, eoq; finito acta ad peregrinos JCtos transmittantur. Quod ita in plerisque civitatibus invaluiſſe, & in cauſa der Stadt Wiſmar obſervatum ait Mevius *d. deciſ. 323. in fin.*

THES. XIII.

Hinc igitur primò magiſtratus ipſe exequi poteſt omnes cauſas ad officium ſuum jurisdictionemq; pertinentes, etſi earum commoda ad ipſum, aut ad fiſcum ſuum pertineant; neque propriam ita cauſam, ſed publicam exequitur, *d. l. un. princ. l. 3. pr. 16.* jure poteſtatis ſuæ *ff. ne vis fiat ei, qui in poſſ. l. 13. §. 2. de injur.* Gail. *de Arreſt. Imp. c. 11. n. 6.*

THES. XIV.

Deinde poteſt quoque judex autoritatem officii ſui ipſemet à contemtu vindicare, & contumaces aut contemtores & deriſores Imperii judicialis, mulctâ, carcere,

cere, arreſtis, præſcriptionibus vel graviore quoque ſeveritate compeſcere, neque in propria, ſed publica officii ſui cauſa id facere cenſetur, *d. l. un. princ. d. l. 13. §. 2. l. 9. 16.* quia hic contemta majeſtas prætoris vindicatur. *ff. de jurisdict.*

Thes. XV.

Tertio, quod ſi alias magiſtratui jurisdictionem exercenti aut iis, quorum opera ipſe in exercitio jurisdictionis utitur, à quocunque ſubdito injuria inferatur, ipſe quoque magiſtratus id vindicat; ſed cum tales injuriæ imprimis etiam privatim homines afficere, & ad ulciſcendi ſtudium exagitare ſolent; hinc ſi dubia adhuc injuriæ cauſa eſt, ipſe judex injuriatus de ea non cognoſcit, ſed ſaltem eam, ſi notoria eſt, exequitur. *c. 1. de pœn. in 6.* Gail. *1. obſ. 39. per tot.*

Thes. XVI.

His quarto, conſequens eſt, quod judex in puncto competentiæ fori ipſe cognoſcere poſſit, quia ipſius jurisdictionis qualitas, adeoque publica cauſa non propria agitatur: in puncto autem ſuſpecti judicis ipſe judicare non poſſit, quippe in quo affectus ipſius & ſtudia privata in hanc vel illam partem, adeoq; cauſa ipſius propria examinatur, uti eleganter id quoque deducit Gail. *1. obſ. 34. per tot.*

Th. XVII.

Hinc &, quinto, magiſtratus ipſi in cauſis fiſci ſui cognoſcere poſſunt, nec propria hæc ipſorum, ſed publica cauſa eſt civitatis ſuæ, ad quam defendendam oneraq; ejus publica ſuſtinenda fiſcus conſtitutus eſt; licet magiſtratus quoque ſua inde ſalaria aliave commoda percipiant, juxta trad. ſupr. §. 5. atque ita jure communi procuratores ſeu rationales, ſimilesve magiſtra-

tus,quos ipſe Princeps & dominus fiſci conſtituit, omnes cauſas fiſcales cognoſcebant ac decidebant, *l.2. l.5. l.6. l.10. & paſſ. C. ubi cauſ. fiſc. junct. l.1. in pr. & §.1. ff. de off. proc. l.2. in fin. & tot. tit. C. ſi adv. fiſc. l.9. pr. ff. de off. proc. l.1. C. de off. com. rer. priv. l.1. l.2. C. de off. com. ſacr. pal. l. ult. §.1. ff. de publ. l.2. §.32. in fin. ff. de orig. jur. l. pen. C. ubi cauſ. ſtat. ag. &c.* Eodemque modo Camera Spirenſis fiſci ſui cauſas & cognoſcit & exequitur. *ord. Cam. pet. 2. tit. 20.*

THES. XVIII.

Etſi autem omnes hæ cauſæ non ſint Magiſtratuum propriè, nec illi ibi ut in propriis cauſis judicent, tamen in omnibus illis vel propter iſta commoda publica, quæ inde percipiuntur, vel propter alia partium ſtudia ſuſpecti eſſe, & conſequenter ex hoc capite, ſi rite id doceatur, à judicando prohiberi poſſunt. Hæc duo igitur probe diſcernenda ſunt, an cauſa ſit judicis propria, an non propria quidem, ſed ejus tamen commodis ac ſtudiis ita vicina, ut facile inde ſuſpectus reddi poſſit. In illa enim judicium ipſo jure nullum eſt, nec unquam ſubſiſtit, & ſufficit ſi propria cauſa appareat. In hac exceptione opus eſt, qua non oppoſita vel non probata, ſubſiſtit judicium, nec ſufficit commodum jure publico ex negotio percipi, niſi appareat quoque inde eum ſuſpectum eſſe.

THES. XIX.

Quæ ergo de Magiſtratuum, ea multò magis de ſummorum Principum cauſis vera ſunt. Quæcunq; enim ad ſacram Principis majeſtatem autoritatemque tuendam, & exequenda ipſius jura regalia pertinent, publicæ cauſæ ſunt, non Principis propriæ, quas ipſe exequi & defendere non modo poteſt, ſed etiam per officii ſui ſacra tenetur. Et ſic in cauſis fiſci ſui, omnibusque

Digitized by Google

que ejus ſpeciebus, uti ſunt jura iſta regalia, quæ in reditu & utilitate conſiſtunt, omninò ipſe judex eſſe poteſt: Illa enim jura vectigalium, collectarum venandi, conducendi &c. non ut meri reditus, ſed cum jure quodam regali, ac poteſtate ſtatuendi & principibus, quam talibus competunt; quæ de cauſa jura regalia, noſtratibus, die Förſtliche/ Glandliche etc. Obrigkeit / dicuntur; nec reditum tantùm ſed & eminentiorem & regalem quandam jurisdictionem continent; cujus vigore ipſi Principes de his juribus ſtatuere, litesq; inde ortas cognoſcere & decidere poſſunt, neque de propriis cauſis, ſed de publicis ita judicant. Omnino ergo, ſi neglectus conductus, vectigalia commiſſa, aut aliàs contra jus regale Principis peccatum eſt ejus cognitio ad ipſum Principem ſpectant, & in delinquentem, qui in ipſius territorio commiſit, adeoque reſpectu hujus actus ei ſubjectus eſt, ipſe pœnam definire poteſt & exequi.

Thes. XX.

Miramur igitur eos, qui quærunt, an Principes in propria cauſa judex eſſe posſit? nedum, qui id ſtatuunt & affirmantur inter quos mirum eſt eſſe mærum, in *d. dec. 323. n. 7.* qui idem quoque aſſerere non dubitat. Sed manifeſtus fit error ex ante traditis, unde patet, cauſas publicas eſſe, de quibus Magiſtratus & Princeps judicare poſſunt, non proprias, & de his neminem per naturam judicem eſſe poſſe, ſed tale judicium naturali juri & ſuæ eſſentiæ contrariari. Cujus certisſimè conſequens eſt, nec principem in propria cauſa judicem eſſe poſſe, ſed tale judicium naturali juri & ſuæ eſſentiæ contrariari. Cujus certisſimè conſequens eſt, nec Principem in propria cauſa judicem eſſe, neque conſvetudine tale judicium introduci poſſe, quanquam non deſint,

qui hoc quoque ſtatuant. Gail. *1. obſ. 1. n. 18.* ubi tamen cauſa non eſt propria Principis, ſed publica, uti jam demonſtravimus.

THES. XXI.

Seducti ſcil. ſunt textibus in *l. 41. ff. de Her. juſt. & l. 3. ff. de his quæ in teſt. del.* verum hæc lex agit de cauſa fiſcali adeoque publica, illa non de judicio, ſed de conſtitutione aut interpretatione dubiæ legis generale; etſi enim Princeps in propria cauſa judicare nequeat, poteſt tamen in dubio jure legem generalem condere, eique ſuam quoq; rem ſubjicere. Differentiæ ratio evidens eſt, in judicio juxta leges jam latas ſtatuitur, nec novum jus ſancitur, ſed adquiſitum parti defenditur, quod proinde pars ipſa, licet Princeps, (quippe qui de jure quæſito alterius diſponere nequit,) aufferre ei non valet. Ubi autem lex dubio jure demum conſtituitur, ibi necdum conſtituta vel lata, adeoque nec jus quæſitum eſt, ſed novem demum conceditur, lege in caſu tali dubio & nondum deciſio lata, quales conſtitutiones juris in cauſis poſitivis, quales ſunt ultima voluntates, de quibus in dd. LL. agitur, dependent ab arbitrio Principis, qui talem legem condere, & ſuas quoque res ei ſubmittere poteſt.

THES. XXII.

Etſi autem Principes, judicando, ita de cauſis publicis non judicent de propriis, proindeq; hæc ratio iis non obſtet, poſſet tamen & in ſummis poteſtatibus contingere, ne judicium coram ſuſpicione careret atq; hæc ſaltim ratio obſtaret. Quin & cauſa eſſe poſſet, quæ privatisſime eſſet Principis propria, uti ſi ſponſionem feciſſet, &c. & utique in propria hac cauſa judex eſſe non poterit. Quis ergo? cum alium ſuperiorem judicem non habeat, ſiſtenda cauſa eſſet, deficiente judice: Sed id

ne fiat, Princeps ultro eam Curiæ ſuæ vel aliis committere ſolet, exemplo *l.13.§.pen.ff.ad SCt.Trebell.* atque hoc modo ultro & lubenter Principes non ex obligatione aliqua ſuas juxta & publicas cauſas dicaſteriis ſuis aut aliis corporibus ordinariis committunt, neque ipſi de iis judicant.

THES. XXIII.

Non igitur hoc caſu judex Principis & Dicaſterium cujus ille jurisdictioni parere teneatur, quod abſurdum; ſed totum, id eſt ex mere ultronea & ſpontanea ſubmisſione, quam Princeps liberrime cauſam deciſioni curiæ alicujus permittit. Atque ex hac ratione juris communis etiam cauſæ feudales Principis ſubmitti dicaſterio poſſent: Verum eas vaſallis ſuis ſed paribus Curiæ ultro ſubjicere ſolitus eſt, quod paulatim in jurisdictionis quandam ſpeciem moribus abiit. Unde omnino ſequitur in locis, ubi curiæ parium nulla eſt, ſubſiſtere adhuc rationem juris communis, ut nullibi, niſi coram dicaſterio vel ſummo conſilio hæ cauſæ agitari queant. Si vero inter ipſos vaſallos lis agitur, ex iisdem quidem principiis dependet, an & quando inter eos dominus judex eſſe posſit, tamen, cum & prolixior, & hinc alienior hæc materia, videatur, alii eam loco aſſervamus. Denique in judicio Auſtregali Principum cauſæ coram Conſiliariis ipſorum agentur, quod merito ſpecialiter conſtitutum eſt tum quia ſoluti jurej. Conſiliarii habentur pro extraneis; tum, ut eſſet ſaltim prima inſtantia, in qua quod committitur in ſecũda corrigi poteſt.

COROLLARIA.

CUm P. R. arbiter eligeretur inter Aricinos & Ardeates, & P. Scaptius doceret agrum, de quo contendebatur, populi Romani eſſe; Tribuni cum populo, ſenatus autem alterutri partium abdicere volebant. Liv. 3. in fin. Neutrum recte: Cum in propria cauſa plane à judicio abſtinere debuerint.

2. Neque illud rectè, quod Senatus agrum vindicandum non putaverit: quia jus populi in agro remittere non poterat: in Principali itaque juſtior cauſa Tribunorum fuit, in modo, Senatus.

3. Perniciosiſſimus error eorum eſt, qui principia Ethices cum rationibus juris naturæ confundunt, quod neque ex Ethicis, neque ſimpliciter ex Sacris, neque ex autoribus, neque ex interpp. juris, ſed ex propriis fontibus derivari debet.

4. Legitimantur Liberi naturales per matrimonium cum connubia etiam in mortis articulo contractum.

5. Negotiorum geſtorum præſtat diligentiam exactam.

6. Per Rem.Cod.in l.2.C.de ann. except.nihil abolitum in tit.ex qu.cauſ.maj.

7. Is qui veniam ætatis impetravit, tutor eſſe non poteſt.

8. Ceſſio bonorum non irrogat infamiam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google